Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36558
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

est prouincia. Thebaida a ciuitate thebe cognominata.
Quam cathmus agenoris filius in egyptum ueniens edi
ficauit. thebas. secundum illam quam in boetia construxit
nominauit. regioque nomen ab illa mutuauit. In hac.
Mauricius princeps fuit et ab hac thebei dicuntur. Huic adia
cet maxima solitudo in qua olim conuersabatur multi
tudo monachorum. Cambises rex egyptum superans ciuitatem
condidit. cui nomen babilon indidit. que nunc caput
illius regni existit. In hac etiam uictor alexander ci
uitatem edificauit. quam ex suo nomine alexandriam nun
cupauit. Supra scriptis regionibus usus aquilonem an
nectuntur hee regiones. Mons caucasus a caspio mari
orientis attollitur et per aquilonem uergens. pene usque ad
europam porrigitur. Hunc inhabitant amazones femi
ne uidelicet ut uiri pugnantes. His cohabitant massage
te et colchi et sarmate. Seres est opidum orientis. a quo
serica gens et regio et uestis est dicta. Post hanc est bac
tria. a bactrio amne uocata. Huic coniunguntur hir
cania ab hircania silua nominata. in qua sunt aues
quarum penne splendent per noctes. Huic iungitur scit
hia et hunia. quarum gentes sunt xl. iiii. Ibi sunt yp
borei montes. Hanc sequitur albania. a candore populi dic
ta eo quod albo crine ibi nascantur. Cui connectitur arme
nia. in qua est mons ararath. super quem archa noe post diluui
um requieuit cuius usque hodie ligna ibi uidentur. Huic co
pulatur iberia. illi uero capadocia. a ciuitate eiusdem nominis
dicta. In hac eque a uento concipiunt. sed fetus non amplius
triennio uiuunt. Asia minor post hanc constituitur.
que pene undique mari cingitur. In hac est effesus ci
uitas ab amazonibus constructa in qua requiescit Iohannes
euangelista. Prima prouincia asye minoris est bithinia prius
berica. post migdonia. mox a bithino rege est bithinia

Caucasus regionibus orientis

Asia minor